id est ut discernat bonos a malis. electos ad dexteram statuendo reprobos ad sinis
tram segregando. Congregate illi sanctos eius. Angelos alloquitur. Congregate inquit illi
id est deo deorum o angeli sanctos eius. uel adducite eos obuiam illi in aera. Angelica quippe
illa tuba hoc loco exprimitur. ad quem mortui resurgent. Hoc et in euangelio
exprimitur. Ubi dicitur. Mittet angelos suos a quattuor uentis terre et colli
gent electos eius. Qui ordinant testamentum eius super sacrificia. Sacrificia
deo placita sunt bonorum operum acceptissima olocausta. Testamentum autem eius appella
tur euangelium quia testamentum sancti recte ordinant. dum opere perficiunt quod ore
predicant. Et adnunciabunt celi iustitiam eius. Celi sunt apostoli et successores eorum
doctores sancti qui adnunciant iusticiam dei id est predicant sanctum euangelium.
Quod penas impiis premia repromittuntur electis. iustitia quippe dei qua iusti re
munerantur et reprobi iuste dampnantur. Quoniam deus iudex est. Ac si diceret.
Noli timere inquit ecclesia mea licet multitudine palearum obfuscari et depri
mi uidearis in presenti uita quoniam deus iudex est qui uentilabit paleas et
mundissima more suo granaria recondet. Audi populus meus et loquar. Propheta
immo ipse dominus prophetarum per prophetam alloquitur specialiter populum iu
daicum. Audi inquit. uel intellege. scilicet precepta mea o populus meus quem
mihi specialiter ex cunctis gentibus elegi. Et testificabor tibi id est
testificando tibi loquar. tibi inquam si audieris et mandata mea non contempseris. alias
autem contra te. Deus deus tuus ego sum. Sepius hoc inculcat ut altiori memoria
arcius infigat. Non in sacrificiis tuis arguam te id est non agam tecum iam de
sacrificiis legalibus. Aperte quippe hic de reprobacione legalium hostiarum loquitur.
Non arguam inquit te. in sacrificiis tuis. uel non contendam tecum pro eis nec
ultra repetam. Sed queri potest cur hec sacrificia reprobentur cum dominus
ea iusserit. Sciendum autem quia permisit quidem hec dominus non uero iussit.
Uidens illum populum pronum ad immolandum permisit sibi sacrificare
ne idolis immolarent. Sed quia hec sacrificia non elegit. ostendit ei